

1772.

1. Bescke, Joannes Melchior Gottlieb : *De origine mortuum contrahendis apud Romanos.*
2. Bescke, Iam. Melch. Gottlieb : *De homicidio ex oratione facta. Num liti's Pontes latios semper mortam fidem inducat? ex sententia Petri Pauli in 140 pr. 8. de heret. peccat.*
3. Bescke, Iam. Melch. Gottlieb : *De homicidio ex oratione facta*
4. Fuerster, Joannes Christianus : *De jure cugantii*
5. Fuerster, Joannes Christianus : *De discriminatione religione et theologiae*
6. König, Henricus Joannes Otto : *De Liciencie Rufius jarrconsulso Romano.*
7. König, Henricus Joannes Otto : *De experimento pulmonum natalium et submersionium.*
Liberthum Christianus Landorius:
8. König, Henricus Joannes Otto : *De experimento De criminal procuratis abortis occasione art. 133 C.P.C.*

9. Matthaeus, Ludovicus, Gorpius: Viciniatibus egyptiorum
Criminalium apud Romane usque ad Caesarem tam
pura. 15'

10. Matthaeus, Ludovicus, Gorpius: Ad l. m. Part. 2. Sc
off. cons. quædam commentatio simulque lectiones
Ius per somestrum liberum habendas indicat. 16

11. Matthaeus, Ludovicus, Gorpius: De jure ad crescere post
venerem hereditatem et l. 251. 8. sc. hered. act. act.
nunt. 17

12. Peypel, Abraham, Faustus et Johannes Christophorus, N.
mam: Vocis caminatae originem Slovonicam
depictant. 1.

13. Thunmannus, Johannes: De conficiis historicae et
practicali orationis. 7.

14. Wallaez, Janus Christianus: De successione agnatorum

in feuds paternis legitima linea; non graduuli nec
mixta.

15. Wallae, Joannes Christianus: De feudi marchicis alteris.
Principis carnalis qualitati et obnoxio

16. Wallae, Joannes Christianus: De feudo alienabili occas.

• II feud. 26 3 23. et. II feud. 48.

1773.

1. Eckhoff, Joannes Henricus: De causis sterilitatis
non absolutis in utraque sexu.

2. Friske, Joannes Henricus: De noctambulis

3. Holtzhausen, Georg. Fridericus: Utrum poena capitalis
coercens sit contra homicidii simplicis proximus,
ex morte C.P.C. atque Mandato. Brandenburgica?

4. Holtzhausen, Georg. Fridericus: De jure axonis res suas
ipsa conscientia a morte debitoce affiguratae
repeluntur.

5. Mittelblatt, Daniel: De legitima portione parentum
6. Lepenwick, Charles Fr. Sericus: De testamento destituto
viribus.

1774.

1. Carrack, Joannes Tobias: Observations quaedam ad
interpretationem Salviacum occasione l. 1. p. 1. & 2. d. de
Salviaco interpretatione juncta l. 1. C. de precario et
Salviaco interpretato
2. Koenig, Henr. Joannes Otto: Utrum usus ac venient
i. e. constitutionem iuris abstricatur?
3. Lepenwick, Charles Fr. Sericus: De testamento destituto
viribus.

DISSE^TATI^O IVRIS PUBLICI ROMANI

D E

L A · E T I S

QVAM

PRAESIDE

PHILIPPO ERNESTO BERTRAMO

PROF. IVR. ORD. ET ORDINIS ICTORVM ADSESSORE

AD D I E M X III I V N I I M D C C L X X I I.

DEFENDET

A V C T O R E T R E S P O N D E N S

F R I D . G O T H L E B R A M B A C H

M A Y D E B U R G E N S I S .

HALAE

S T A N N O H E N D E L I A N O .

LAURENTIUS
HIERONIMO DOMINI
JOANNI HENRICO CASMI
CARMER
Q
TRINITATIS CONSISTORIUM REFORMAT
AD DILECTIONEM ET CONCORDIA
TRINITATIS CONSISTORIUM
AD DILECTIONEM ET CONCORDIA
TRINITATIS CONSISTORIUM
S A N M O S H A S S I D I

ILLVSTRISSIMO
EXCELLENTISSIMO DOMINO
DOMINO
IOANNI HENRICO CASIMIRO
DE CARMER.
AVGVSTISSIMI BORVSSORVM REGIS
IN CONSILIO STATVS ET IVSTITIAE
SANCTIORI
ADMINISTRO ACTVALI
TRIBVNALIVM IVSTITIAE CONSISTORIORVM
ET CVRIARVM TVTELARIUM
TOTIVS SILESIAE
SVMMO PRAESIDI
RELIQVA

HABITATIONE
EXCELENTE DOMINO
DOMINO
IOANNI CLEMENSIO GERMIRIO
SALUTATIONE
AD MICHAELEM ACTONI
ET CLERICIS HUIC MONASTERICI
I

Quo major est excelsiorque ille, quem **T I B I, V I R
I L L V S T R I S S I M E**, summus rerum arbiter attribuit locus,
quo tenuius illud, quod **T I B I** offero munusculum, eo quo-
que magis ex harum rerum comparatione propriae imbecilli-
tatis conscientia me tenet, omnemque ad **T E** aditum preclu-
dere videtur. Ego vero qui mentem **T V A M** generosam tan-
tisque conspicuam virtutibus penitus perspexisse mihi videor,
aliquantum confirmor, **T V A Q U E** in humanitate ac singulari
indulgentia, qua omnes qui litteris nomen dederunt, com-
pleteeris, quique ad **T E** quasi communem totius Silesiae pa-
rentem confugint, vnicce acquiesco. His accedit, neminem
T E melius aut maiori iure collocati in Academia temporis
rationem a me ipso exigere posse. Quare hoc **T I B I** speci-
men diligentiae sacrum esse volui, simulque in eo extare ve-
nerationis pietatisque in **T E** summae testimonium. Hunc
igitur libellum **T I B I** meque ipsum trado. De **T V A** au-
tem, quae in **T E** elucet, humanitate ac benignitate spero
imo confido, **T E** mihi pleraque condonaturum esse, quae et
aetatis et exiguae doctrinae ratio nec aliter admittit. Cae-
terum a **T E T V A Q U E** indulgentia rogo, velis me et patro-
cinio **T V O** complecti, et fauore **T V O** dignum iudicare.
Ego vero eo ardenter D. T. O. vt incolumem **T E** seruet
L T D B R C A M G O T T F R I E R A N B O C H

et

et sero in caelum redire iubeat, precor, quo magis TE felicitatis meae promotorem statoremque et habeo et votis omnibus exopto. Vale, VIR ILLVSTRISSIME, et benevolentiae Tuae, si meruero, commendatissimum habe

ILLVSTRISSIMI NOMINIS TVI

FRIDERICVM GOTTLIEB RAMBACH.



§. I.

Ratio huius scripti.

Antiquam illam et sane laudabilem consuetudinem, per acto vitae academicae curriculo aliquod dexteritatis specimen edendi, sequor. In argumento, de quo mihi dicendum esset, ad id potissimum respexi, ut materiam sumerem non ab innumeris fere auctoribus tractatam et ad nauseam usque enuclearam. Illustris Hommelius, (1) Musarum Lipsiensium decus, vellicauit mihi aurem, ne trigesimam primam post trigesimam de eadem materia disputationem elaborarem. Adfunt permulta argumenta, quae explicatione ac disquisitione viteriori quam maxime indigent, praesertim horum sat magna numerum nobis offert *Ius publicum Imperii Romani*, cuius penitiori

(1) v. Litteratura Turris pag. 16. seqq.

A

tiori cognitione destituti, haud raro in perspiciendis legum ciui-
lium Romanarum veris rationibus allucinamur, nubemque pro Iu-
none captamus. Arrisit mihi inprimis argumentum de *Laetis f.*
Letis leticisque agris et iuribus vtrisque concernentibus, cum
simul hac ratione me antiquitatibus patriis aliqua ex parte lucem
esse affusurum, arbitror. Qui hanc materiam data opera tractauer-
it, inueni neminem. Multi vero iique eruditissimi viri passim
Laetorum mentionem iniecerunt, quorum laboribus, si cogniti mi-
hi et ad manus fuerunt, me vsuum fuisse, ingenue fateor, ne quis
mihi plagii suspicionem moueat. Satis me fecisse opinor, si in
vexatissima hac materia ex diuersis diuersorum sententiis, cohaerens
quoddam systema confecerim, totamque rem magis diuulgare stu-
duerim.

§. II.

*Gallorum Germanorumque, sub Romanorum signis militandi,
confuetudo.*

Iulius Caesar, virtutibus pariter ac vitiis omnes sui tem-
poris superans, quantum adhuc in annalibus reperire licuit, pri-
mus fuit, qui cognita Gallorum Germanorumque virtute, eosdem
vario modo coegit atque permouit, vt sub aquila Romana milita-
rent, pedibusque et equis stipendia mererent. Perspectum enim
habebat sagacissimus hic patriae libertatis oppressor, Romanos vi-
tis, atrisque sceleribus ea iam esse perductos, vt libertatem, quam
quidem censebant esse inestimabilem, amplius ferre atque tolerare
nequirent. Ea enim est infelicissima mortalium conditio, vt id quod
bo.

bonum est, facile perspiciant et sentiant, media vero, quibus illud acquirere possint, affectibus suis nimis indulgentes, respuant. Quo igitur modo Caesar militibus suis, qui decantatissimas illas veterum Romanorum virtutes probitatemque eiurauerant, fidem habere, ac in illis consilia sua spemque omnem tuto collocare poterat? Iam dudum Romae omnia erant venalia et auri sacra fame quilibet Romanorum laborabat. Quodsi vero Caesar Rempublicam destruere ciuibusque suis ciuale bellum inferre, quo melius ipsis imperitaret, apud animum constituerat, id nullo modo facilis ab eo perfici poterat, quam, si populos rudes quidem barbarosque ex mente Romanorum, pugnaces tamen, manus fortes, probos, fidos, et ad quaevus ardua suscipienda et perficienda natos alliceret, sibique deuotos redderet. Quod consilium indele Germanis Gallisque inata vehementer adiutuebatur, cum ea tempestate qua inter ipsos pax intercedebat, apud alias gentes stipendia quaererent, ac animum bellicis rebus exercerent. Per multa huius rei testimonia apud veteres historicos extant. Habemus ipsum Caesarem fatentem, se in bellis a se gestis, et praesertim in bello ciuali, ope Germanorum Gallorumque partim sociorum, partim stipendia merentium, felicissime usum fuisse. (2) Quid? quod, his ipsis Germanis victoriam

(2) *Caesar de Bello Gallico L. VII. c. 13.* Caesar ex castris equitatum educi iubet, proeliumque equestre committi, laborantibus iam suis, Germanos equites circiter 100 submittit, quos ab initio secum habere instituerat. Eorum impetum Galli sustinere non poterunt, cap. 65. Caesar — trans Rhenum in Germaniam mittit ad eos ciuitates, quas superioribus annis pacauerat, equitesque ab his accersit, et leuis armaturae pedites, qui inter eos praediari con-

riam in campis Pharsalicis a Pompeio reportatam maximo debet
bat. (3) Caesarem Pompeius magnus in hoc ipso bello ciuii imi-
tatus est, vt ex Hirtio colligere licet. (4) Antonius in bello Par-
thico secum habuit Gallos equites, (5) vnde apparer, maiorum no-

sueuerant. Eorum aduentu, quod minus idoneis equis vtebantur, a tribunis
militum reliquisque sed et equitibus Romanis atque euocatis, equos sumit,
Germanisque distribuit. Dion. Hist. Rom. Lib. XL. pag. 138. de bello con-
tra Vorcingentoriceum. Haud parum, inquit, ad eam Victoriam Germani,
quos Caesar ad auxiliu euocauerat, Romanis contulerunt — et paullo post,
hostes equestris proelio a Romanis repulsi sunt, maxime Germanis auxiliari-
bus tum quoque victoram adiuuantibus. Hirtius de bello Gallico Lib. VIII.
cap. 12 et 13. Idem de bello Africano cap. 2c. Lucanus Lib. I. prolix re-
censet Galliae Germaniaeque populos, qui duce Caesare bello ciuii intererant,
ac tandem elegantissimae exercitus ex his copiis compositi descriptio-
ni addidit:

— certe populi, quos depicit Arctos
Felices errore suo, quos ille timorum
Maximus, haud vrget leti metus, inde ruerendi
In ferrum mens prona viris, animaque capaces
Mortis.

Taceo nunc Appianum de bello ciuii Lib. II. aliosque, qui bella a Caesare
gesta enarrarunt.

(3) Florus Lib. IV. cap. 2. Quam diu aequo Marte certaretur, iussuque Pom-
peii fusus a cornu equitatus erupisset, repente hinc signo dato Germanorum
cohortes tantum in effusos equites fecere impetu, vt illi esse pedites, hi ve-
nire in equis viderentur. Hanc stragem fugientis equitatus, leuioris armatu-
rae ruina comitata est. Tunc terrore latius dato, turbantibus inuicem co-
piis, reliqua strages quasi vna manu facta est.

(4) de bello Africano cap. 19. Praeterea ex fuga proeliisque Pompeiano,
quos secum a Brundusio transportauerat equites Germanos Gallosque — (Pe-
treius) armauerat — — Labienus cum equitibus Gallis Germanisque
cl. DL — —

(5) Plutarchus in Antonio. Erant — equitum Romanorum vna cum Hispa-
nis et Gallis, qui eis accenfabantur, decein millie.

¶ ◊ ¶

strorum virtutes, iam ea tempestate Africae Asiaeque incolis satis
innotuisse. Habent hic, quod defendant homines illi, qui omnia
temere in Romanis laudant, qui speciem virtutum Romanorum,
et in primis eorum fidem erga patriam, erga leges, erga ciues
nobis semper ad imitandum proponunt, qui denique summam
prudentiam, et exquisitissimas Politices regulas in quo quis negotio
a Romanis suscepto inueniunt, qui que insania quadam abrepti,
hanc gentem ad superstitionem vsque colunt. Est enim contra in-
dubitata verae prudentiae principia, si quis peregrinas nationes,
feroces, pugnaces, omnibusque diuitiis destitutas, in regiones du-
cit atque ibi commorari sinit, non solum immensis opibus reple-
tas, et a natura felicissimo climate donatas, sed etiam, ut breuiter
dicam, omnibus vitae commoditatibus sine exemplo affluentes; si
quis hos populos manu quidem fortissimos, solidiora et intimiora
artis militaris principia ignorantes his instruit viamque illis aperit,
ut ipsam hanc artem militarem, qua sola adhuc profigari pote-
rant, vnu quotidiano facilime addiscant; si quis Gallos Germanos-
que a multis iam retro seculis Italiam petentes, exitiumque impe-
rio Romanorum animo parantes sibi iungit, quo alteram partem
Romanorum vincat vel interficiat. Nonne Caesar hoc fecit? Non-
ne in hoc turbulentio errore, quem commisit, prima ratio debella-
ti et tandem ab his rationibus expugnati imperii occidentalis qua-
renda est? Iam antea fortitudine maiorum nostrorum hoc regnum
interiisset, nisi ipsa discordia, diuersum animi studium, aliaeque
huc non spectantes rationes impedimento fuissent. Nec quis mi-



hi obiiciat, Romanos iam longe ante debellatos Germanos, suis immiscuisse exercitibus auxiliares copias ac socios. Maximum enim inter illos populos et Germanos intercedit discrimen. Ipsi suis sedibus contenti, ne quidem Romanos fortitudine superabant; hi vero nouas sedes quaerebant et Romanis omnibus bellicis virtutibus anteibant. Sola cognitio profundior artis militaris in Germanis desiderabatur.

Attrauen Augustus, cuius sapientiam plurimi extollunt, poetae in primis, quibus vinum Falernum largissime praebebat, eundem fecutus est morem. Namque in eius exercitu non magna solum militum Praetorianorum erat multitudo, sed et reliquus exercitus ex Gallis, Germanis, Batauis praesertim constabat, qui maiora ceteris militibus stipendia accipiebant. Quod quidem non ob probitatem maiorum nostrorum, quam sententiam plurimi amplectuntur, sed ad opprimendos Romanos pristinum reipublicae statum appetentes factum est. Alebar magnum numerum equitum Germanorum, quorum alacritate virtuteque usus est felicissime⁽⁶⁾. Imo ut eo tutius tractibus quibusdam Germaniae imperaret, multa millia Germanorum, praesertim Sicambrorum trans Rhenum

(6) Dio. Lib. LV. p. m. 563. Sub Augusto autem XXIII vel XXV. legiones alebantur, ac multae etiam auxiliae equitum pediuimque et clavisiorum — stipatores autem corporis imperatoris sunt X millia — — tum equites alienigenae extraordinarii, Bataui appellati a Batavia, quae est in Rheno insula, cuius incolae arte equitandi possent. Vt illis Augustus coepit tum primum — — cf. idem Aucter Lib. LIII. Suetonius in Aug cap. XLIX. Tamen, Annal. Lib. II. cap. XVI. Noster exercitus sic incessit: auxiliares Galli Germanique in fronte.

7

migrare iussit, e quibus posteriori aevo milites delecti sunt (7). Tenuerunt haec instituta Augusti successores, e quibus C. Caligula et Neronem nominasse sufficiat (8). Galba vero perspexisse videtur malum, ex tam ingenti numero militum alienigenarum, et ex instituto, Germanos tanquam custodes corporis adhibendi, exsurgens (9).

Confirmato imperio et despoticino stabilito vna quidem alienigenarum militum alendorum caussa cessabat. Sed mores Romanorum in dies siebant peiores. Vitiis corporis aequae ac animi vires exhaustientibus quilibet fere Romanorum laborabat, iisque deditum esse gloriabatur. Quid vero de eiusmodi hominibus, seu porius homuncionibus in continuis bellis gerendis exspectari poterat? Accersendae erant aliae nationes, quae integris robusti corporis viribus in acie dimicarent. Nec raro viri ab ipsis barbaris

po-

(7) *Tacitus Annales Lib. II. cap. 26.* *Suetonius in Aug. cap. XXI.* Suevos et Siccambros dedentes se in Galliam traduxit, et in proximis Rheno agris collauit. *Eutropius Lib. VII.* Tiberius (imperante Augusto) CCCC M. capti-
vorum ex Germania transtulit, et supra ripam Rheni in Gallia collocauit. *Dio Lib. LV.* quidem eos Cantabros nominat, sed manifestus est error. Forte hunc locum ex MSC. restituui summus Reimarus in praefantissima histo-
rici huius editione, quae vero mihi non ad manus est, vide interim quae no-
tauit ad h. locum Taciti Lipsius in edit. Gronotiana Tom. I. p. 114.

(8) *Suetonius in Cal. cap. LVIII.* mox (interempto Caligula) Germani corporis cu-
stodes ac nonnullos ex percussoribus — — interemerunt. *Tacitus Histor. Lib. I. cap. LIX.* Id. *Lib. II.* et *Lib. IV. cap. XIV.* in primis per totum fere librum secundum copiarum auxiliarium populorum Germaniae fit mentio.

(9) *Suetonius in Galba cap. XII.* Germanorum cohortem a Caesaribus olim ad custodiam corporis institutam, multisque experimentis fidelissimam dissoluit,
et sine ullo commodo remisit in patriam.

8

populis oriundi Imperatores salutabantur. Quae cum ita essent,
naeuis hic politicus, quo nullus maior, mansit in administrando
imperio Romano. Ipse M. Aur. Antoninus, vir multorum opinio-
ne sapientissimus, hunc errorem non solum commisit, sed etiam
vehementer auxit. Cum enim in bello cum Marcomannis gesto
deuci*sti* essent Quadi, atque cum aliis compluribus populis fidei
Marci Aurelii se permetterent; alii illorum ad militiam recepti et
aliorum missi sunt, sicut et illi ex captiuis et transfugis, quotquot
hoc impetrare poterant; alii terram et agros partim in Dacia, par-
tim Panonia, partim Mysia et Germania, et ipsa in Italia consecuti
sunt, quorum aliqui Rauennam inhabitantes adeo nouis studuere
rebus, ut etiam civitatem illam occupare auderent: qua de caussa
non modo non amplius in Italiam barbarorum quemquam immisit,
sed eos etiam, qui prius illuc venerant, in alias colonias eduxit⁽¹⁰⁾.
Neque tamen hoc exemplo M. Aurelius factus est prudentior.
Pacem cum Iazygibus iniit, qui praeter ceteras condicione*s* spon-
debant, ut semper octo equitum millia e suis stipendia apud Ro-
manos mererent. Astingi quoque apud Imperatorem pecuniam
et agros obtinuerunt⁽¹¹⁾. Quod quidem institutum, agros inter
milites diuidendi hacque ratione labores eorum bellicos velut p*rae-*
mio quodam afficiendi, antiquum erat, laudeque sua dignum. Ve-
rum enim vero valde diuersum est politicum illud institutum, quo
subditi nati ob merita bellicis rebus parta, agris donantur, ab hac
citentia ad scimus) amicisq*ue* coniunctis iurando iurabat, iurabat re-
pa (10) Theodosius, ex Dionis Lib. LXXI, p. m. 813, ed. Leuncenpi, 8. Francof.
julio 1592. iurabat amicisq*ue* superlati, manu*n*atur*o* q*ue* iurabat
(11) Idem p. 814.

3

recentiori Romanorum consuetudine, qua integræ fere gentes, olim reipublicæ infenissimæ nec adhuc principiis Romanorum imbutæ, latissimis agris, præsertim finitimis instruuntur. Nec attendenda est altera obiectio, imperium Romanum scilicet fuisse despoticum, quod omne iam inde a primis temporibus in exercitu præsertim niteretur. Ex quo apparere nonnullis videtur, Imperatores Romanos debuisse quam maximam militum vim alere, atque deficientibus indigenis, alienigenas milites conscribere, sibi que agris aliisque beneficiis distribuendis deuincire. (9) Facilius autem est responsio. Posito enim imperio despoticō, remotaque omni fere naturali libertate, fauor militum ad occupandum pariter ac retinendum imperium hisce Tyrannis maxime quidem erat necessarius; sed nihil valent haec omnia, ad excusandam horum Imperatorum vel imprudentiam vel leuitatem, qua populos Romano nomini inimicissimos, et iam per aliquot secula ruinam imperio Romano minitantes, in fines suos recipiebant, illisque fertiles agros concedebant. Poterant enim hi populi prima data occasione plenum, ut vocant, dominium facili negotio acquirere. Sed mittamus haec, et reliquam huius instituti historiam perseguamur. Non desierunt sequentes Imperatores, variis pollicitationibus barbaras gentes inuitare ac velut allicere.

Nimis longum et alienum forer, si de singulis Imperatoribus hoc probare vellem. Quare de nonnullis dicam breuissime
De Maximo et Balbino refert Julius Capitolinus, (12) Germanos

(12) Cap. XIII et XIV. p. m. 445. ed. Obrecht.

eos

B



eos stipasse et Imperatoribus hisce ab aliis militibus interfectis, se
extra urbem, *vbi suos habebant*, contulisse. Sub Constantio et
Constantino, quem Magnum vocant, hoc institutum maxime vi-
guisse infra docebatur. Julianum Salios, Quadorum partem, et
quosdam insulam Batauiam incolentes, legionibus adscriptissime, te-
statur Zosimus.⁽¹³⁾ Ne longus sim, Imperatores quosdam tac-
tus praetermitto. Facere tamen non possum, quin ad *Ammia-*
nnum Marcellinum⁽¹⁴⁾ prouocem, qui, *Alemannos*, inquit, *metu*
(Burgundiae) *gentis dispersos aggressus per Rhaetias Theodosius*,
ea tempestate Magister equitum, pluribus caesis, quoscunque cepit,
ad Italiam iussu principis misit, vbi fertilibus agris acceptis iam
tributarii circumcolunt Padum. Theodosio mortuo, filii eius Ar-
cadius et Honorius imperium Romanum in duas partes scindebant.
Nec hoc satis; sed Honorius omnibus ad regendum necessariis
animi dotibus destitutus, nec par morbis imperii magis magisque
ingrauescentibus medelam afferendi, multis gentilibus vel barba-
ris agros colendos dedit. Exstat in primis *Claudiani* testimonium,
poetae quidem et peccati adulatoriis, in hac tamen narratione non
prorsus reiiciendi.⁽¹⁵⁾ Lubentissime enim Illustrissimo Comiti a

Bunau

(13) Zosimus Lib. III. cap. 8. ed. Cellar.

(14) Ad annum 370. Lib. XXVIII. cap. 12. pag. 454. ed. Lugdunensis, 1591.

(15) Lib. I. in Eutropium v. 375 seqq.

Sic effata rapit coeli per inania cursum

Divu potens, vinaque Padum translapsa volatu

Castra sui rectoris adit, tum forte decorus

Cum Stilichone gener (Honorus) pacem implorantibus vitro

Ger-

112. 12 min. 13

Bunau largior, (16) Claudianum nimiis laudibus extulisse victoriā a Stilicone partam, nec leges Chaucis nec flavis signasse iura Suevis. Haec sufficient de hoc Romanorum instituto, quod imperii Romani occidentalis interitum accelerasse, cordati illorum temporum viri animaduererunt. Forsan in posterum non deerunt, qui reliquas huius instituti partes rimentur, et hoc labore suo iuri Romano publico et Politiae huius imperii lucem afferant.

§. III.

De Lactorum nomine.

Inter hos populos barbaros siue gentiles, (17) qui variis sub conditionibus Romanis militabant agrosque colebant, eminent *Laeti* ut a bene multis vocantur *Leti*. Cuius nominis origo ante omnia eruenda videretur. Variae autem sunt eruditorum, praesertim eorum, qui antiquitates Gallicas perscrutati sunt, opiniones.

B 2

Co-

Germanis responſa dabant, legesque Chaucis
Arduis, et flavis signabat iura Suevis,
His tribuit Reges, his obſide foedera fancit
Indictio: bellorum alios transibat in vias,
Militer ut nostris detorsa Sieambria signis.

(16) Tomo I. Histor. Imp. pag. 493 seqq.

(17) Gentiles apud Romanos vocabantur gentes exteræ, quae vel ex iure foederis, vel ex deditione, vel ex alio ſucepto nexus ad militandum sub signis Romanorum erant obligati. Vid. tit. Cod. Theod. de noptiis gentilium, et Notitia vtraque dignitatum cum Orientis tum Occidentis edit. Lugd. 1608. vbi pag. 45 seqq. occurrit *schola gentilium seniorum et iuniorum*. Nomina etiam hic auctor anonymus populos Romanis militantes innumeris ferre in locis *gentiles*, quae loca, cum hic liber in omnium elegantiorum ICtorum et Historicorum manibus sit, adducere ſuperfedeo. Mitto etiam Zonsram, Amm. Marcellinum et alios, qui illorum faciunt mentionem.

❧ ♚ ☙

Comes *Boulainvillierius* (18) dubius, quam amplectatur vocis originem, primo putat, Romanos eos appellasse lactos, quasi gaudentes et hilares, quia natura fuissent hilari animo et libertate Germanica vel Gallica gauderent. Nemo vero non videt, hanc erymologiam esse valde coactam, atque inuitam, Germani enim et Galli nunquam fuerunt tam festiui et iucundi animi, ut inde laeti vel iucundi homines per excellentiam potuissent vocari; maxime cum ad Romanorum castra transeuntes, non amplius libertate pristina fruerentur. Deinde opinatur, accepisse forsan Laetos nomen a voce latina antiquata, *letes*, quae agmen, coetum, multitudinem significauit. Sed neutiquam verisimile est, Romanos adhibuisse vocem antiquatam et obsoletam in denominanda hac militum specie. Probabilior est opinio, quam *Hadrianus Valesius*, ad cuius nomen Galli nostrae aetatis superficiariam quandam eruditioinem sectantes, merito erubescant, probare non dubitauit, *Laetos* nempe nomen suum sortitos esse a populo quodam *Lectorum*, qui in Gallia sedem suam haberit. Loquitur de hac gente, ex sententia plurimorum, *Ammianus Marcellinus*; (19) *Cogitatum* (a Juliano Caesare) est, *sollicitaque praefectum*, ut facientes ultra solitum *Alemanni*, vagantesque fusi, multitudine geminata nostrorum forcipis specie trusi in angustias caederentur. Dum haec tamen rite disposita celerantur, *Laeti barbari* ad tempestiva furtu soller-

ter,

(18) *Histoire de l'ancien Gouvernement de la France*, Tome I. pag. 6. ed. Amst. 1729.

(19) *Lib. XVI. cap. 7.*

❧ ♚ ❧

tes, inter utriusque exercitus castra occulte transgressi, invadere
Lugdunum incutam: eamque populatam nisi auido (valido) con-
cremassent, nisi clausis aditibus repercutti, quicquid extra oppi-
dum potuit inueniri, vastassent. Ad hunc locum Valesius in com-
mentario suo (20) bene obseruauit, ineptum atque inutile esse, si
hoc loco *Laeti* nomen pro adiectiu vocabulo sumatur, ut quidam
perperam fecerunt, additque *Laeti* nomen hic esse proprium bar-
barorum, indeque gentem quandam effinxit. *Mascouius* (21) vir
incomparabilis, iam intellexit, ea, quae Valesius et in allegato Com-
mentario ad Ammianum Marcellinum et in rebus Francicis (22) de
hac Laetorum natione dixit, nullo modo eruditis satisfacere, quam-
uis *Mascouius* eos populum constituisse putet, cui opinioni et Il-
lustrissimus Bunauius (23) fauet. Hanc thesin, *Laetos* fuisse singu-
larem quendam populum Valesius (24) adstruere audet per *pagum*
Leticum ad flumen Laetiam (hodie Lesch) situm. Oritur Laetia
in silua Arduenna, alluit Hammam (Han sur Lesch) et in dextram
Mosae ripam effunditur paullo supra Deonantum. Occurrit et
Laetia, oppidum Neruiorum seu Hainoenium in dioecesi Came-
racensi, vulgo Liesses seu Lieffies, et comitatus *Leticus* in litteris
Caroli Calui a Valefio allegatis de anno 877: *In pago Letico vil-
lam Haignas similiter et in ipso Comitatu Letico villam Rinen-*

B 3

gam.

(20) pag. 105. ed. Gronov. fol. Amst. 1693.

(21) In Histor. Gerim. Part. I. pag. 247. §. XLVII. not. 1.

(22) Fol. Luter. 1646. Tom. I. Lib. I. pag. 32. et Lib. IV. pag. 162.

(23) Tom. I. Histor. Imp. pag. 401. 420.

(24) I. all. et in Notitia Galliarum pag. 259 seqq.

❧ ♦ ❧

gam. Porro usus est Valesius loco in hac materia decantatissimo,
Eumenii scilicet in Panegyrico Maximiano dicto: (25) Itaque sicuti
pridem tuo, Diocletiane Auguste, iussu suppleuit deserta Thraciae
translati incolis Asia, sicut postea tuo, Maximiane Auguste, nu-
tu Neruorum et Treuirorum arua iacentia Laetus (26) postliminio
restitutus et receptus in leges Francus excoluit etc. Denique pro
sententia illorum, qui Laetos singularem populum constituisse ex-
istimant, militare videtur locus *Zosimi* Libr. II. cap. 54. *Maguen-
tius*, inquit, *originem generis a barbaris trahebat*, *translatus
autem ad Letos, quae gallica natio est, litteras latinas didicit.*

Ad haec argumenta ira respondendum esse censeo. Pri-
mo non satis probabile est, *Marcellinum* in all. I. per *Lacti*
nomen denotasse diuersam ab Allemannis, cum quibus solis, eodem
teste, tunc temporis Julianus bellum gerebat, nationem. Alias
enim sine omni dubio hic auctor satis accuratus indicasset ab ini-
tio Laetos vna cum Allemannis bellantes, et his deuictis illorum
fata memorasset. Omnes alii Auctores, qui hocce bellum enarra-
runt, de Laetis tacent, nec apud ceteros historicos Graecos pa-
riter atque Latinos (praeter Zosimum, cuius modo mentionem
inieci) populus Lactorum commemoratur. Vnde colligere audeo,
hos Laetos fuisse Allemannos, et iuuenes quidem istos qui in co-
mitatu nobilium erant, quique nomen suum, a seruitio militari
du-

(25) p. m. 322. seq. ed. Rechenberg. Lips. 1650.

(26) Ridicula explicatio quorundam Criticorum, omni historica cognitione de-
stitorum, quasi Laetus pro laetitia affectus positum esset, ne refutatione qui-
dem digna est.

❧ ♚ ❧

ducibus suis particularibus praestando nomen sortiti erant. (27) Lubenter deinde concedo fuisse pagum et comitatum laeticum, flumen et oppidum Laetiae, sed exinde non fluit, ab hoc pago seu vti putat Valesius, a flumine Laetiae pagum et populum Laetorum nomen traxisse. Obstant in primis duobus hisce argumentis, variae apud Romanos Laetorum species. Quodsi enim apud hos vnica tantum Laetorum militum fuisset species, pedibus essem in hanc sententiam iturus. Cum vero plures eorum et ex dissitis quidem nationibus barbaris collectae obueniant, hac sola ratione, tota ruit a populis Laetis desumpta, etymologia. Tertio, quod ad locum Eumenii attinet, cur nodum in scirpo quaerat Valesius, (28) nescio. Distinguit *Laetum* a Franco, quia de Francis dici non posset, eos fuisse postliminio restitutos in Galliam, quod vero de Laetis optime dicendum esset, qui ab origine, teste allegato Zosimo, essent Galli. Ast Zosimi testimonium mox est reuiciendum, et si etiam esset admittendum, Laetosque fuisse singularem in Gallia populum concederemus, attamen omnino de Laetis Franci dici potest, eos Imperatoris victoria in Galliam restitutos fuisse, quanquam ab origine Franci non erant Galli. Cum enim *Eumenius*, vti eo quidem locum intelligo, dicit, *Laetum Francum* postliminio restitutum, receptumque in leges, Neruiorum et Treuirorum arua iacentia excolere, facile et sine du-

bio

(27) Ne extra oleas vagemur vide de hoc comitatu Tacitum de M. G. et sagissimum Virum, acutissimumque rerum Germanicarum perscrutatorem Moeserum in Historia Osnabrugensi.

(28) in nota ad all. locum.

❧ ♣ ☙

bio ex his quae antecedunt et sequuntur intelligitur, hos Laetos Francos per alias magnae Germaniae gentes e terris, illis antea tanquam *Laetis* a Romanis ad colendum concessis, fuisse electos, victoriis Imperatoris vero postliminio restitutos. Eodem modo hunc locum elegantissimus *Ictus Iac. Gotobredus* in Commentario ad l. 12. Cod. Theod. de Veteranis⁽²⁹⁾ explicauit. Nunc tandem ad locum *Zofini* deuenimus, qui Letos nationem gallicam constituisse dicit. Quodsi vero huius Graeculi verba, qui more gentis suae parum in Geographia versatus est, paullo accuratius consideremus, et cum oratione I. Iuliani Imp. in laudes Constantii⁽³⁰⁾, dicentis, Magnentium fuisse maiorum Constantis vile mancipium ac Germanorum praedae seruatae infelices reliquias comparemus, ex his aliisque historiae monumentis liquet⁽³¹⁾ Magnentium fuisse origine barbarum, a Constantino M. bello captum, seruatum vero eundem ob fortitudinem corporisque proceritatem inter Laetos i. e. inter milites eodem nomine conspicuos, qui in Gallia degebant, receptum.

Vidimus igitur, ni egregie fallor, admodum ineptam nec satis probabilem sententiam eos sequi, qui affirmant, fuisse aliquando gentem Gallicam, quae Laetorum nomen gesserit. Fac autem si haec concedi a nobis posse, non tamen inde probaretur, Laetos nostros, militum Romanorum speciem, nomen suum hinc

tra-

(29) ed. Ritt. Tom. II. p. 446.

(30) pag. 34. operum Iuliani ex ed. Spanheimii. Lips. 1696.

(31) *Sextus Aur. Victor.* cap. XLI.



traxisse. Vnde ergo Laetis nomen obuenir? Gothofredus in I.
12. Cod. Theod. de Veteranis, et in Glossario Nomico, voce *Laeti*
teriori Etymologiae proprius accedit, comparando saltem Laetos
cum nostris Litis; licet monente iam celeb. *Rittero*, ridicula quaedam
admisceat, facile tamen ignoscenda ICto, Germanicarum
et Gallicarum rerum non satis perito. (32) Mea quidem senten-
tia *Laeti* nomen traxerunt ab antiquissima voce germanica *Leut*,
quae generaliter sumta hominem herili dominio subiectum vel cer-
tis seruitiis et praestationibus obnoxium denotat. Quam huius
vocis esse significationem, testantur innumera fere loca a Du Cangio,
Wachtero aliisque Glossariorum scriptoribus collecta, quae
exscribere superuacaneum puto. Omnibus etiam, qui vltra Ro-
fenthalinm et Schraderum in Iure feudali germanico sapiunt, sa-
tis superque notum est, Vasallos, hoc est, homines militaris no-
men *der Lüde*, vel pro diuersa eorum origine, *der armen Lüde*,
der edelen Lüde, gesisse. Vox *Leut*, quae pro varietate dialeto-
rum *litus*, *laetus*, *lito*, *latus*, *laetus* &c. pronunciatur, neutri-
quam praeponit amissionem totius libertatis, nec inuoluit sem-

per

(32) Ne dicam de etymologia urbis St. Germain en Laye, in summo versatur errore, rusticos nostros ab his Laetis cum Miraco, quem allegavit, de-
riuans. Veneror merita eruditissimi huius in iurisprudentia Romana ICti;
magno autem in errore versari, iniustissimum mihi esse videntur, qui
scriptis talium ICtorum in decidendis rusticorum nostrorum caussis vtuntur.
Est in simili errore Dn. Cangius, dicens: *a Laetis deducta videtur vox*
teutonica laet et laeten.

C



per seruitutem, ne quidem Germanicam. (33) Is enim apud maiores nostros in sensu strictissimo dicebatur liber, qui ad ea tantum seruitia et ad eas saltem obligationes erat adstrictus, quas toti reipublicae debebat, et ipse cum reliquis liberis in comitiis universalibus in se lubens receperat. Eiusmodi igitur liber homo, vel ingenuus vel nobilis, alias adhuc obligationes ab ipsis diuersas in se suscipiens amittebat partem libertatis suae innatae et siebat *litus*. Quo maiores et adstrictiores hae erant obligationes, quo duriora et grauiora officia, quibus quis se obstringebat, eo magis vocabatur *litus*, seu *seruus*. Inde etiam euenit ut e. g. vasallus, homo militaris, ministeriale seruum appellaret, ille vero a libero in sensu stricto, etiam nomine serui seu liti insigniretur. Ex ignorantia huius doctrinae errores quam plurimi propullularunt, ut doctissimus Scheidius (34) praeceteris demonstrauit. Adde immensam maiorum nostrorum cupiditatem bellicam acquirendi gloriam, nec non opinionem eorum, qua nullam laudem laude bellica maiorem esse putabant, deinde foecunditatem castissimarum Germanicarum matronarum, qua tantus iuuenium robustissimorum numerus efflorescebat, ut multis eorum apud alias gentes quaerenda essent seruitia militaria, denique culturam agrorum vitamque rusticam apud eos tempore pacis non fuisse dedecori, facile,

ge-

(33) consule in primis de hac re iam allegatum Moeserum multo cum iudicio ineftigantem statum publicum veteris Germaniae, et Dn. Cangium diff. XVII, ad Loinuillan.

(34) in libro eruditissimo de Nobilitate.

meo quidem iudicio est perspiciendum, quare haec barbara progenies, vti Ammiano Marcellino vocatur, a Romanis terras accipiebat, seruitiis militaribus se obstringebat et inde Germanico vocabulo *Laezi* seu *Leti* denominabatur. (35)

§. IV.

De Lactorum origine.

Iam supra de militaris huius instituti origine apud Romanos egimus. Quo vero tempore *Lactorum* nomen in Imperio Romano primum innotuerit, non satis liquet, tacentibus de huic rei origine historicis Romanis. Exeunte saeculo tertio post C. N. in allegato Eumenii loco hocce nomen inuenimus. Panegyrico illius eruditii annum 290 adscribunt. Quum Eumenius qui nihil, quod ad laudes Imperatorum amplificandas augendasque spectat, praetermittit, de his autem Laetis, quasi de noua re, nouoque instituto ne verbulum quidem addit; verisimile mihi omnino esse videtur, iam ante tempora Diocletiani et Maximiani Germanos sub *Lactorum* nomine in Imperio Romano extitisse. Incertum etiam est, ex quo Germaniae populo *primi Laeti* exierint. Vti ego quidem Eumenii locum supra laudatum explicavi, Franci pri mi commemorantur Laeti.

C 2

§. V.

(35) Quid iam olim quibusdam accidisse nouimus, id etiam *Dn. Cangio* nostro accidit, qui ab his *Laetis* feuda originem traxisse arbitratur. Sed nostra aetate paullo accuratius innestigatis antiquitatibus populorum septentrionium, talia merito ridemus.



§. V.

Quot fuerint Laetorum species.

Facillimo hinc colligi potest negotio, non defuisse tales barbaros, inque iis iuuenes praesertim, bonis paternos destitutos, qui Romanam felicitatem sequentes (36) imperio militari fauerent Laetorumque in se reciperent conditiones. Quod quidem diuersis temporibus factum fuisse, cum per se probabile est, tum ex all. l. 9. de Censoribus intelligitur. Incidi quoque nuperrime in locum Zosimi lib. I. c. 71. in quo de deditione Blemmyarum et Baesternarum deque agris ipsis concessis differit ac denique haec addit: itidem cum *Franci* ad Imperatorem (Probum) accessissent. et ab eo *fedes obtinuissent* etc. Quibus in verbis vestigium ali. quod Laetorum Francorum reperire mihi videor; quod etiam obscurum esse potest nemini, cum Francorum nomen ante annum 253. apud scriptores Romanos non facile occurrat. Confer Vopiscum in Probo cap. XVIII. Inde euenit, ut variae Laetorum species in rerum gestarum scriptoribus reperiantur, quarum accurriator census in Notitia dignitatum agitur. (37) Nomina haec sunt.

Prae-

(36) l. 9. de Censoribus Cod. Theod. Reste quidem monet Gothofredus, hanc barbarorum collusionem non felicitatem, sed ruinam Imperio-romano procuraſſe: haec vero Arcadii et Honorii mens in d. l. non fuſſe videtur. Portus his verbis AA. significare volunt felicissimum ciuitum subditorumque Romanorum statum, quem etiam barbari, Romanis alias infenſissimi, libertatisque sine defensore acerrimi, conſequi studerent. Arroganter quidem et ſuperbe diſtum! sed arrogantiae et ſuperbiae, quae in Romanorum animis atras radices egerat, tribuendum.

(37) p. 179. et fqq. ed. all.



Praefectus Laetorum Teutonicianorum Carnunto Senoniae Lug-dunensis.

Praefectus Laetorum Batauorum et Gentilium Sueuorum Baio-caſ et Constantiae Lugdunensis ſecundae.

Praefectus Laetorum Gentilium Sueuorum Cenomannos Lugdu-nensis tertiae.

Praefectus Laetorum Francorum Redonas Lugdunensis tertiae.

Praefectus Laetorum Lingonum per diuersa disperforum Belgiæ primæ.

Praefectus Laetorum Actorum Epuſo Belgicae primæ.

Praefectus Laetorum Neruiorum Fanomantis Belgicae ſecundae.

Praefectus Laetorum Barauorum Nemetacensium Atrebatis Belgicae ſecundae.

Praepositus Laetorum Batauorum Contraginensium Nouiomago Belgicae ſecundae.

Praefectus Laetorum gentilium Remos et Siluaneſtas Belgicae ſecundae.

Praefectus Laetorum Lagenſium prope Tungros Germaniae ſe-cundae.

Praefectus Laetorum Gentilium Sueuorum Aruernos Aquitanie primæ.

Videmus ex hac designatione, nouem fuiffe Laetorum species, Teutonicianorum nempe, Batauorum, Sueuorum, Francorum, Lingonum, Actorum, Neruiorum, Gentilium in gene-re et Lagenſium. Teutoniciani ſine dubio ortum trahebant a Teu-



tonibus; erantque praesidiarii ciuitatis Carnutensis (hodie Chartres) in Senonia siue Prouincia quarra Lugdunensi. Batauorum gens tam nota est, vt qualicunque nostra non indigeat commen-tatione. Excubabant partim in ciuitate Baiocensem seu Baiocas-sium (vulgo Bayeux). Sueui, qui ex Sueuis nobilissimo Germaniae populo, ad Romanos transferant, defendebant Constantiam seu ciuitatem Constantinorum (hodie Coutance). Vtraque ciuitas pertinebat ad Lugdunensem secundam. Hi Laeri vnicum tantum habebant Praefectum, vel quia non adeo numerosi erant, vel ad reliquos harum gentium Laetos pertinebant. Altera Sueuo-rum pars tenebar Cenomannos (hodie Mans) in Lugdunensi III. Tertia pars Sueorum tuebatur Aruernos, hodie Clermont, in Aquitania prima. Aruerni enim nomen non tam urbem, quam populum significabat, cuius regio hodie Auvergne nominatur. Franci sedem suam habebant Rhedoni, vulgo Rennes in Lugdu-nensi III. Lingones olim valde potentes, commemorant Caesar et Iulius Frontinus, qui lib. III. Stratagema-ton, eos LXX. millia arinotorum Domitiano tradidisse, affirmat. Dudum enim foedere iuncti erant Romanis. Pro diuersitate temporum modo ad Belgi-cam, modo ad Celticam Galliam pertinebant; et nunc Laeti Lin-gones per Belgicam primam siue patriam dispersi erant. Regio eorum hodie Langrois, ciuitas autem Langres vocatur. Sequuntur Atri, siue, vt Pancirollus (38) in commentario ad hunc locum vult, Astri. Putat nimirum, hos Laetos collectos fuisse ex Galliis et Astorum Hispaniae oppido, quod nunc Haudix voca-tur.

(38) pag. 181. a.

tur.^{im} Addit tamen, fuisse forsitan Astos Laetos ex regione Astae
in Peloponneso, quae apud Plutarchum in Demetrio occurrit,
contractos. Sunt autem, me quidem iudice, Asti non e longin-
quo arcessendi, sed in Gallia vel Germania quaerendi. Cum
enim omnes reliqui Laeti ex prouinciis Galliarum et Germaniae
originem ducant, verosimile non est, hos solos Actos fuisse Grae-
cos. Accedit et hoc, quod omitti non debet, Pancirolli con-
iecturam cum principiis Romanorum politicis, quae in defenden-
dis regionum finibus sequebantur, non satis cohaerere. Ego
quidem in re tam obscura et tot difficultatibus impedita, inge-
nue fateor, ignorari me veram Astorum vel Astorum originem.
Quodsi tamen verborum sonus atque cognatio aliquid valet, pro-
uocare facile possem ad Astenidum, cuius in capitulis Caroli Cal-
ui mentio sit. (39) Hic enim pagus forsitan Astorum patria fuit.
Degebant Asti in vico Epusio, hodie Ivoy, in Belgica prima.
Laetorum Neruiorum origo patet. Habitabant enim potissimum
in comitatu Hannoniae, et tuebantur in Belgica secunda Fanum
Martis, (40) quod erat oppidum Neruiorum hodie *Fau* dictum.
Bataui Nemetacenses oriundi sunt ex hoc ipso pago, unde nomen
hauserunt, quemque etiam Atrebati, nunc Arras incoluerunt.
Vehementer errat Pancirollus, a Nemetibus eos deriuans. Pa-
gus enim Nemetacensis quis fuerit inter omnes constat. Bataui
Contraginenses iterum in patria sua, cuius oppidum praecipuum

No.

(39) Valesius in *Notitia Galliarum* pag. 48.(40) ita legendum est in *Notitia*.



Nouiomagum hodie Noyon fuit, praesidiarii erant. Nomina-
bantur Contraginenes a Contraginno, vel Contragino castello
quodam, hodie Chauni dicto, nec longe a Nouiomago distante.
Laeti Gentiles ex pluribus populis constati videntur. Dicebantur
Gentiles, quoniam, cum barbari essent, Romanis militabant,
Laeti autem, quoniam ad hanc Gentilium speciem pertinebant.
Tuebantur Remos (Reims) et Siluaneetas (Senlis) in Belgica secun-
da. De Laetorum Lagensium origine nihil certi definiri potest.
Nolo enim cum Pancirolo eos e Mysia inferiori ob caussas antea
allegatas euocare. Praesidiarii milites erant apud Tungros (Ton-
gren) in Germania secunda. Restant Laeti gentiles Suevi, qui
cur in *Notitia* Laeti simul et gentiles appellantur, non video.
Nec diffiteor, me veram huius appellationis rationem ignorare.
Forsitan olim gentiles tantum fuerunt, postea vero editis egregiis
facinoribus ad conditionem Laetorum peruererunt, ita tamen ut
pristinum nomen maneret. (41) Omnes hi Laeti erant milites
praesidiarii in Galliarum prouinciis ita ut tractus terrarum ab illis
defendendi fere contigui essent, inde quoque ut supra monuimus,
Zosimus Laetos esse populum Gallicum dixit. Praeter has Lae-
torum species vnam adhuc in Ammiano Marcellino lib. 21. cap.
12. reperiisse mihi videor, eandemque in Notitia dignitatum silen-
tio praetermissam. Mittit ibi Julianus A. C. 391. Arbetionem
et cum *Laetis Gomoarium*. Lindenbrogius ad hunc locum bene
qui-

(41) Qui ubiorem locorum, in quibus Laeti milites praesidiarii erant, ex-
planationem desiderat, is velim audeat *Valesii Notitiam Galliarum*.

dem obseruat, textum, si vocem *Laetis* spectes, non esse corruptum; sed neque is neque *Valesius* ad h. l. verbum de populo Gomoarium, a quo hi Laeti nomen sumserunt, adiiciunt. Nec ego hoc possum, frustra euolutis antiquis monumentis et tacentibus de hoc populo omnibus scriptoribus. Cum etiam aetas *No-
titiae* non adeo remota sit ab aetate Iuliani, vox Gomoarium suspecta mihi videtur.

§. VI.

De iuribus et obligationibus Laetorum.

Explicatis omnibus iis, quae origini historiaeque *Lae-
torum* inferuire videbantur, nunc tandem ad eorum obligationes et iura accedo.


I. Erant *milites*, et quae singula disputari de iis possunt ea fere omnia ad militiam redeunt. *Vltro* castra Romanorum sequebantur; dediti vero et bello coacti militare cogebantur. Locupletissimum huius rei testem habemus *Ammianum Marcellinum*. (42) *Equos praebebo* (sunt verba Iuliani ad Constanti-
num) curules Hispanos, et miscendos Gentilibus atque scu-
tariis adolescentes Laetos quosdam, cis Rhenum editam pro-
geniem, vel certe ex deditiis, qui ad nostra desciscunt. Qui-
bus ex verbis discriben inter Gentiles et Laetos manifeste elu-
ceret. Alter locus, quem *Gothofredus* ad l. 12. C. Theod. de
veteranis ex Ausonii gratiarum actione allegauit; (43) voca Ger-

ma-

(42) lib. 20. cap. 8.

(43) p. 378. edit. Rechenb.

D



manicum deditio[n]e Gentilium, Alemannicum traductio[n]e capti-
uorum, vincendo et ignoscendo Sarmaticum, hanc diuersitatem
Laetos inter et Deditios ne[st]iquam euincit, cum nulla Laeto-
rum eorumque conditionis ab Ausonio fit mentio. Aliqua ex
parte l. 16. C. Theod. de Tironibus, quam A. A. A. Arcadius,
Honorius et Theodosius 406. considerunt, huic pertinet. Prae-
ter caetera enim de militia foederatorum et deditiorum ita lo-
quitur, vt hi ab illis distinguantur. Foederati vero teste *Har-*
menopulo, Nomophylace et Iudice Thessalonicense (44) erant mi-
lites ex variis gentibus foederatis collecti et Olympiodorus,
scriptor coaeuuus apud Photium ad an. 409. dicit, imperante
Honorio foederatorum nomen attributum fuisse inconditae et
e diuersis conflatae multitudini militum. Ad hos ergo foede-
ratos Laetos quoque referre licet.

Romani exercitum suum in legiones et auxilia distingue-
bant, vt Vegetius, (45) auctor in hac re accuratissimus, qui-
que exeunte saeculo quarto vixit, vberime testatur. In Le-
gionibus soli ciues, in auxiliis socii et Barbari merebant.
Auxiliares, sunt verba Vegetii, conducuntur ad pretium ex
diuersis locis, ex diuersis numeris venientes. — Nam legioni-
bus semper auxilia, tanquam leuis armatura in acie iunge-
bantur, vt in his proeliandi magis adminiculum esset, quam
principale subsidium. Legio autem propriis cohortibus plena.

Et

(44) *Epit. Iuris Civilis* Lib. IV. l. 12.(45) *de re militari* Lib. II. cap 2. p. 31. ex edit. Stewechii 4. Antw. 1617.

Et Lib. III. cap. 1. *Exercitus dicitur tam legionum, quam auxiliarum.* Reliquos testes, quos producere possem, mitto. *Plinium maiorem*, qui aperte ciues auxiliaribus opponit, allegasse sufficiat. (46) *Auxiliares*, inquit, (loquitur autem de donis militaribus) quippe et externos torquibus aureis donare, at ciues non nisi argenteis. *Praeterque armillas ciuibus dederunt, quas non habent externi.* Addo l. 22. C. Theod. de erogatione militaris annonae, in qua Arcadius et Honorius AA. Hilario P. P. mandant: *Neque Scholae, neque Vexillationes, Comitatenses aut Palatinae, neque Legiones vltiae, neque Auxilia, qualeslibet ad prouincias delegatorias de specierum praebitione pertulerint, audiatur, si pretia poscent, ultra ea, quae generali lege Diui Patris senioris Valentiniani constituta sunt.* Laetos itaque, tanquam barbaros origine ad copias auxiliares referre debemus. Hoc tamen facile largior, imminente magis magisque ruina Imperii Romani et deficientibus ad militandum ciuibus plures e barbaris et ex Laetis quoque, in legiones fuisse delectos, vti ex l. 12. Cod. Theod. de Veteranis colligimus.

Magnitudo, situs atque multitudo prouinciarum, quibus imperium Romanum mole sua laborans constituebatur, variusque incolarum animus, innumeras fere dispositiones et ordinanes rei militaris requirebant. Videmus inde permultas militum Romanorum species, hosque milites diuersos diuersis obnoxios fuisse obligationibus, praeter communia seruitia, partim in prae-

D 2

lio

(46) *Histor. Nat.* Lib. XXXIII. cap. 2. p. 874. edit. Lugd. fol. 1540.



lio partim aliis occasionibus praestanda. Laeti nostri, aliis limitaneis militibus similes habebant curam, tuitionem et munitionem fossati ac limitis, l. i. Cod. Theod. de terris limitaneis. cf. l. 12. Cod. Theod. de Veteranis. Fossum, cum hic a limite distinguitur, deuotat fossam, qua vrbs quaedam munita est. *Vegetius* (47) enim scribit: Musculos dicunt minores machinas, quibus protecti bellatores, (48) fuderum auferunt, *civitatis fossum* etiam apportatis lapidibus, lignis ac terra, non solum compleant, sed etiam solidant, ut turrem ambulatoriae sine impedimento iungantur ad murum. *Herodianus* (49) quoque; de Augusto verba faciens, fossas a limitibus separavit: Fluuiorum magnitudine atque fossarum montibusque asperrimis, desertisque locis atque imperii circumscriptis imperii limites muniuit. Plura loca, quae distinctionem hanc probant, larga manu collecti, seu potius quoad maximam partem ex Patris notis ad l. 3. π. de re militari exscripsit Gothofredus ad l. i. Cod. Theod. de terris limitaneis. Quod ad limites attinet, in hac lege neutrī quam limites seu termini a natura positi intelliguntur, quibus regio quaedam securior redditur, veluti mare, fluuii, montes etc. sed limites hic loca arte communita dicuntur, cuiusque generis sunt castra, turre et praesertim munitiones vallares, campestres, quae instar limitis sunt. Tale monumentum celeberrimum illud Vallum Romanum fuit, quod circa Danubium

ac

(47) Lib. IV. cap. 16. p. 87.

(48) sic cum Lipsio de militia Romana L. V. dial. 5. lego.

(49) Lib. II. cap. IV.

❧ ♫ ☘

ac Nicrum, contra maiorum nostrorum fortissimorum irruptiones Romani extruxerunt. Facillime hinc, nisi me omnia fallunt, stationum ratio perspicitur, quae Laetis in Notitia dignitatum assignantur; partim enim tanquam praefidiarii milites oppida et loca munira fossatisque circumdata tueri, partim tanquam defensores limitum seu munitionum campestrium, hostes Imperii Romani, Germaniae scilicet populos arcere et repellere poterant. Ab hac defensione limitum seu riparum Riparienses appellati sunt omnes ii milites, qui in imperii limitibus aduersus barbaros excubabant, ita ut hac voce mox limitanei milites, quales Laeti et Gentiles, mox legiones indicarentur (50). Praeter tuitionem fossati et limitis, onus muniendi limites conficiendi recipiendique fossas illis incumbebat. Ita intelligo verba I. 1. Cod. Theod. de terris limitaneis: propter curam munitionemque limitis atque fossati. Quas vero obligationes Laeti cum caeteris militibus communes habebant, lubens praetereo. Inter has tamen eminent obligationes, ne delitescant, ne inter exordia militiae in ipso aetatis flore discedant, de quibus et caeteris prolixe agit I. 12. Cod. Theod. de Veteranis et expressis verbis Laetorum Alemannorum mentionem iniicit. Omnia enim Laetorum seruitia et obligationes si illustrarem, commentarium de re militari Romanorum conscriberem necesse esset. Attamen hoc praeterire nolo, illis Praefectos seu Praepositos praefuisse.

D 3

In

(50) Herodianus Lib. VII. c. 7. et Vopiscus in Aureliano c. 38. Qui ripam inhabitant Riparii dictuntur et legiones, quae praeveniunt apud Riparios, dictae Riparienses.



In *Notitia dignitatum*, ut supra vidimus, plerique qui Laetis praerant, praefecti nominabantur, sed in l. 10. Cod. Theod. de Veteranis Praepositi audunt: si quis Praepostus fuerit aut fabricae, aut Clasti, aut Laetis, identidem si Praepostus Rom. Largitionum, vel Cobortis gesserit Tribunatum, aut quicunque his administrationibus, ad quas non nisi cum certis fideiussoribus singuli quique veniant, fortasse praefuerit, qui non vel intra Palatium congruo labore meruisse, vel armatam inuenitur sedasse militiam, his privilegiis carent, quae militaribus Palatinisque tribuuntur. In interpretandis verbis: aut quicunque his administrationibus, ad quas non nisi cum certis fideiussoribus singuli quique veniunt, Valeius⁽⁵¹⁾ et Gothofredus ad h. l. valde discrepant. Ille enim ex his verbis elicere audet, nullum Laetorum praepositum potuisse ad hocce officium adspirare, nisi datis certis fideiussoribus. Gothofredus autem, de dandis fideiussoribus dispositionem de aliis tantum administrationibus intelligit, quae in h. l. non expresse indicantur. Adiicerem sane opinioni Valesianaë album calculum, quoniam Barbari hi non semper eodem animo eademque voluntare erga Imperium Romanum erant, sed obstat, hanc dispositionem de fideiussoribus tunc eriam de Cohortis tribunatu intelligendam esse, quod nullo modo admitti potest.

II. Ob

⁽⁵¹⁾ Lib. I. Rer. Franc. p. 33. Errat Valeius, dicens, Ammianum Marcellum Lib. XXI. cap. 12. vocare Legionem quandam Laetos. Ammianus enim saltem narrat, Julianum mississe Arbitionem cum Laetis Gomoarium sed non cum legione Laetorum.

❧ ♚ ❧

II. Ob varia haec nec exigua seruitia militaria Laetis tanquam stipendia praemique concessa erant, terrae sic dictae *Laeticæ*. Quodsi hunc modum per se nec in relatione totius rei consideramus, prudenter omnino excogitatus erat. Hac enim ratione Laeti omnibus viribus omnibusque nervis contendebant, ut agri eorum, qui simul limites imperii Romani erant, ab irruptionibus Barbarorum securi redderentur, alias prouentibus eorum carebant. Quare etiam historici Romani, quorum testimonia breuitatis studio praetermitto, saepius fortitudinem et acerrimum eorum in repellendis hostibus animum admirati sunt, posteritatique tradiderunt.⁽⁵²⁾ Gaudebant omnibus omnino prouentibus agrorum, quos colebant, et inde facile perspicendum est, eos indefessum laborem in colendis iisdem adhibuisse et agriculturam, primum rerum publicarum felicitatis fundamentum, per eos in his regionibus effloruisse. Quod vero ad naturam et conditionem horum agrorum limitrophorum spectat, terrae erant, ut ita dicam militares seu seruitiis militaribus obnoxiae. Inhaerebat hoc militandi onus ipsi agro, seu rei, adeoque onus, ut loquuntur, reale. Omnes qui agros laeticos possidere cupiebant, militare seruitaque militaria, iis adnexa, praestare debebant. Hinc eorum possessio in priuatos non cadebat, all. i. Cod. Theod. de terris limitaneis: Terrarum spatia, quae Gentilibus propter curam munitionemque limitis atque fossati antiquorum humana fuerant prouisione

⁽⁵²⁾ vide interim Ammianum Marcellinum Lib. XX. cap. 9. edit. all.

❧ ♚ ❧

uisione concessa, quoniam comperimus aliquos retinere, si
corum cupiditate vel desiderio retinentur, circa curam fossati
tuitionemque limitis studio vel labore nouerint seruendum, vt
illi, quos huic operi antiquitas deputarat. Alioquin sciant,
haec spatia, vel ad Gentiles, si potuerint inueniri, vel certe
ad Veteranos esse non immerito transferenda, vt hac prouis-
ione seruata, fossati limitisque nulla in parte timoris esse pos-
sit suspicio et l. 2. d. t. Quicunque Castellorum loca quaecun-
que titulo possident, cedant ac deserant, quia ab his tantum fas
est possideri Castellorum territoria, quibus adscripta sunt, et
de quibus iudicavit antiquitas. Quodsi vterius (53) vel priua-
tiae conditionis (54) quispiam in his locis, vel non Castellanus
miles fuerit, detentor inuentus, capitali sententia plectatur.
Hoc tamen ex l. 2. all. patet, priuatos potuisse ad horum agro-
rum possessionem adspirare, si easdem subierint conditiones,
quibus milites erant obstricti. Transibant quidem ad heredes
masculos, non feminas, quoniam hae in regula non militant
et Ius publicum Romanum nostros Prouasallos ignorat, neque
tamen ad omnes masculos, sed ad eos tantum, qui militabant.
Lampridius (55) hoc satis superque probat. Sola, inquit, quae
de hostibus capta sunt, limitaneis ducibus et militibus dona-
uit, ita vt eorum ita essent, si heredes eorum militarent, nec

vn-

(53) Forte legendum alterius.

(54) Priuati i. e. omnes alii quam milites, militibus opponuntur. l. 66. §. 1.
π. de Euiictionibus l. 5. pr. C. ad L. Iul. Maiest.

(55) in Alex. Seuero. Cap. 58. p. 356. edit. Obrecht.

❧ ♚ ☙

vnquam ad priuatos pertinerent, dicens, attentius eos militares, si etiam rura sua defenderent. Patent haec quoque ex Nov. Theod. iun. de ambitu et locis limitaneis 31. quae nimis prolixa est, ut hic describatur. (56) Laeti itaque terras laeticas nec alienare nec transferre pro lubitu poterant, quare Gothofredus vulgariter distinctionem respiciens plenum iisdem *dominium* propriumque ius denegat. Nec scopus nec fines libelli mei permittunt, vt rem paullo altius attingam. Si vero fine terminis technicis loqui fas est, Imperatores agrorum dominium retinebant, et barbaris iura quaedam a domino alias exercenda vna cum nonnullis priuilegiis, loco stipendii pro labore militari concedebant.

Obseruasse Imperatores normas seu regulas, quasdam seu proportionem quandam, quibus adhibitis terrae laeticae personis bene merentibus distribuebantur, demonstrat l. 9. C. Theod. de Censoribus, ex qua simul patet ipsorum Imperatorum annotationem, ob magnum sine dubio in hac re abusum, fuisse necessariam. Constitutionis huius verba sunt: Quoniam ex multis Gentibus sequentes Romanam felicitatem se ad nostrum Imperium contulerunt, quibus terrae Laeticae administrandae sunt, nullus ex his agris aliquid nisi ex nostra

ad-

(56) Forte quis mirabitur, me neque tis. de fundis limitrophis, nec alias leges ex iure Iustinianeo huc forsan spectantes allegasse, sed is velim recordetur, me tantum de Laetis neutiquam vero de omnibus Gentilibus ac omni genere fundorum limitrophorum agere constituisse

E



adnotatione mereatur. Et quoniam aliquanti, aut amplius quam meruerant, occuparunt, aut conludio Principalium vel Defensorum, vel subreptitiis Rescriptis maiorem quam ratio poscebat, terrarum modum, sunt consecuti, Inspector idoneus dirigatur, qui ea reuocet, quae aut male sunt tradita, aut improbe ab aliquibus occupata.

At terrae haec laeticae ab omni munere, collatione vel tributo, ut ex all. Nou. 31. Theod. iun. patet, immunes erant. Iniquissimum fuissest, si Imperatores ab illis hominibus, qui (sunt verba Theod. iun.) defensione strenua bellicisque confitibus imperium Romanum suo saepe sanguini practulerunt, munera quoque vel tributa exigissent. Praestabant enim officia sua rei publicae debita limitibus muniendis et defendendis hostibusque repellendis. Quanti Imperatores alacres hosce milites aestimauerint, ipsa haec nouella docet. Omnes barbarorum limitaneorum concussions et oppressiones seuere prohibentur, et ne quidem cuiuslibet spatii temporis praescriptio ab iniustis terrarum detentoribus contra militem allegari potest.

III. Non obstantibus hisce priuilegiis atque praerogatiis, Valentianus et Valens A. anno 370. constitutionem de Nuptiis Gentilium ediderunt, quam nobis Cod. Theod. h. t. offert. Nulli prouincialium cuiuscunque ordinis aut loci fuerit, cum Barbara sit uxore coniugium nec ulli Gentilium prouincialis foemina copulatur. *Quodsi quae inter prouinciales atque Gentiles affinitates ex huiusmodi nuptiis extiterint (quod in iis suceptum*

*Sceptum (suspectum) vel noxiūm detegitur, capitaliter expie-
 tur.* In explicando huius legis sensu, non eadem mihi est
 cum Gothofredo mens. Coniugio enim Prouincialis cum Bar-
 bara et Barbarac cum Romano A. A. poenam capitalem statuif-
 se asserit. Ego opinor A. A. prohibuisse saltem haec con-
 iugia statuisse vero capitalem poenam quodsi ex his nuptiis et
 affinitatibus, noxiūm quid aut suspectum detegatur. Ratio-
 nem huius legis politicam Gothofredus in Commentario suo
 iam pridem docuit, fuisse nempe Imperatoribus suspecta haec
 coniugia. Romani enim rebellionibus fauentes, et coniugio
 Barbaris coniuncti faciliori modo securitatem Imperantium sub-
 uerrebant, immo ipsi Barbari, hac necessitudine, ad prouincias,
 in quibus agros seu terras tenebant, sibi subiiciendas, vteban-
 tur. Quae quidem constitutio grauis Gentilibus atque iniurio-
 sa, paullo post ita fuit mutata, ut huiusmodi nuptiae per Re-
 scripta Principum concederentur. Testem huius rei habemus
 Eunapium in excerptis Legationum. Coniugiorum permulta ex-
 exempla initiorum Romanas inter ac Barbaros historia saeculi quin-
 ti nobis offert, ex quibus matrimonium, quod Athaulfus, Rex
 Gothorum, cum Placidia forore Valentinianni III. celebrauit, re-
 tulisse sat erit.

Extincto Imperio occidentali, cessasse Laetos, totumque
 hoc institutum, quilibet me quoque non monente animaduertet.

F I N I S.

F

PRAE-

PRAENOBILISSIMO

DOMINO RESPONDENTI

S. P. D.

P R A E S E S.

*P*acissimis te, affinis dilectissime, alioquin.

Partim enim in testificando animo meo verbosus nunquam esse so-
leo, vanitatem verborum aliis relinquens, partim duplex illa ar-
etior necessitudo, qua nos coniuncti sumus, in oculis malevolorum
me suspectum reddere potest. Peregristi nostra in Academia trien-
nium laudabiliter et cum insigni fructu. Breue quidem temporis
spatium ad perlustrandum saltem immensum totius eruditio-
nis campum, sed ita iubet saeculum, ut cum Tacito loquar, i. e. ini-

quitas

quitas et levitas aetatis nostrae. Non iurasti in verba Magistri,
 pependisti potius ab ore cunctorum summorum et eruditissimorum
 Virorum, qui causa Themidis sacra in nostra Fridericiana pro-
 curant. Nunc specimine hoc, quod iam edis, satis probas, te
 non solum omnem operam in addiscendis iis scientiis posuisse, quae
 ad panem olim lucrandum pertinent, sed etiam induisse animum
 T V V M illis artibus atque disciplinis, quas ornatores et elegan-
 tiores vocamus. Gratulor TIBI, AFFINIS ATQVE AMICE
 SVAVISSIME, de his omnibus ex intimo cordis affectu, gratu-
 lor PATRI nostro, VIRO SVMME REVERENDO, de filio
 optimae spei, gratulor sed desino te gratulando obtundere. T V ve-
 ro ne desinas unquam, me meosque amare et nos eo amore com-
 pleti, quo ad hoc usque tempus consueisti. Vale atque iterum
 Vale, resque T V A S semper felicissime age. Dab. Halea Magd.
 d. X. Ianu. ccccxxii.



DVLCISSIMO FRATRI

S. P. D.

IOANNES IACOBVS RAMBACH.

Quantopere te amem, et ob ingenii praestantiam, amabilemque virtutis, quae semper in te effulgit, indolem exosculer, licet verbis exprimere non possim: malo tamen amorem in te meum quomodocunque declarare, quam officio, quod tua mibi humanitas imposuit, plane deesse, tamque scribendi occasionem praetermittere, quae tantam mibi assert voluptatem, quantam animus meus pereipere potest maximam. Quidni etiam laeter, intimisque sensibus afficiar? te enim non fratrem solum habeo, sanguine aequem ac integerrimi amoris vinculo mibi coniunctissimum, sed etiam in eorum numero esse video, qui disciplina qualicunque mea usi sunt, meque studiorum, quibus puerilis aetas impertiri solet, ducem aut potius comitem esse voluerunt. Quare cum te ad gloriam, cuius studium natura tibi ingenerauit, doctrina autem vehementer auxit, recta via pergere intelligam, plurimaque habeam ingenii tui documenta, quae

con-

conservibenda doctissima hac disputatione maxime confirmasti;
 facere non possum, quin summo gaudio perfundar, TIBIque literarum studia diligenter eximiaque cum laude exculta gratuler.
 Quo in negotio ut in posterum pergas, nec unquam a pristina virtute descasas, etiam atque etiam opto. Hoc enim si feceris, pollicor TIBI atque in me recipio, futurum esse, ut uberrimos doctrinae virtutisque Tuae fructus aliquando percipias. De tuo in me amore nibil est, quod dubitem. Noui enim animum Tuum;
 noui mores tuos et propensissimam in me voluntatem, quam,
 cum nuper Quedlinburgi in amplexibus tuis per aliquot dies (o suaves et iucundissimos dies!) conquescere licet, satis declarasti. Meum autem in te animum expertus es saepissime:
 eundem si perpetuo futurum et tenerrimo amoris affectu te semper amplexurum putas, non fallam opinionem tuam. Ita enim et consuetudo mea et natura postulat. Vale, dulcissime frater;
 et redux in patriam, qua nunc eteris, factus, omnes, qui me amant, meis verbis saluta diligenter; optimum vero Parentem,
 cuius summam in me benevolentiam, dum spiritus hos reget artus,
 gratissima mente praedicabo, hinc atque hinc amplexa molli foue
 et exosculare. Iterum vale, o pectus meum et animula mea!
 quemque tibi habes amantissimum, non dilige solum sed etiam ama.
 Dab. Quedlinburgi Prid. Non. Iunii MDCCCLXXII.



RESPONDENTI ET AVCTORI

HVIIS DISSERT. DOCTISSIMO

S. D. P.

F R I E D . G V I L . M V L L E R

ANHALT. OPPONENS


I V R . V T R . C A N D .

*P*er illud ipsum tempus, quo in hac Alma Friedericiana
animum ad Ius applicuisti hanc TIBI, AMICISSIME RAM-
BACH! praeципuam curam fuisse licuit deprehendere, ut elegan-
tiori Iurisprudentiae operam dares; quod eo magis laudandum
est, quo pauciores bodie sunt, qui in addiscenda illa Iurispru-
dentia, cuius restauratores Alciatus, Cuiacius, Hottmannus,
Briffonius, aliquique sunt, studium collocant. Et offendisti sane
hocce libello, TE haud inutilem impendisse laborem huic studio.

Sed

Sed iam non locus est, ut multis laudibus TE extollam. Nihil ergo dicam de Ingenio TVO felicissimo, de diligentia atque per illam comparata eruditione; nihil dicam de candore atque integritate animi TVI. Lubentissime satisfacio officio illi, quod mibi imponere TIBI placuit, nec vlla alia occasio dulcior mibi fuit illa, qua mentem meam TIBI deditissimam publice declarare licet, eaque re eo magis laetor, cum Illustri buius Dissertationis Praefidi, Praeceptoris meo in aeternum colendo gratum et deuinitissimum animum offendere simul queam.

Quod reliquum est, nil in Votis habeo, nisi vt felix faustusque in Silesiam contendas, inque Patrios amplexus ruas et vt omnia TIBI prospere succedant conamina TVA: mihi vero id solum exopto, vt in illa amicitia, illoque fauore, quibus hactenus me non indignum iudicasti, in posterum etiam erga me pergas, me autem TIBI semper esse deditissimum velim persuadeas TIBI.
Vale. scrips. Hale ad Sal. a. d. IV. Id. Iun. MDCCCLXXII.



huiusmodi. Hoc est ut tu hunc titulum te, de me vel non emulor.
etiam quicunque in consuetudine et i. dicitur in scriptis ego
deus. Et hoc est ut tu hunc titulum de me vel non emulor.
etiam quicunque in consuetudine et i. dicitur in scriptis ego
deus. Alioquin nobis debet ostendere, quod tuus es. Quia tuus es
deus. Tunc tuus es. Tunc tuus es. Tunc tuus es. Tunc tuus es.
Tunc tuus es. Tunc tuus es. Tunc tuus es. Tunc tuus es.
Tunc tuus es. Tunc tuus es. Tunc tuus es. Tunc tuus es.
Tunc tuus es. Tunc tuus es. Tunc tuus es. Tunc tuus es.

ERRATA.

- p. 5, l. 22, lege: nationibus.
p. 15, l. 20, lege: ego.

ULB Halle

002 169 592

3



sb



B.I.G.

DISSERTATIO IVRIS PUBLICI ROMANI

DE

L A E T I S

QVAM

PRAESIDE

PHILIPPO ERNESTO BERTRAMO

PROF. IVR. ORD. ET ORDINIS ICTORVM ADSESSORE

AD DIEM XIII IUNII MDCCCLXXII.

DEFENDET

AVCTOR ET RESPONDENS

FRIED. GOTTLIEB RAMBACH

MAGDEBURGENSIS.

HALAE

STANNO HENDELIANE.